DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO; VIRGINI DEIPARÆ ET SANCTO LUCÆ, ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS IV. FEBRUARII MDCCXVII.

M. FRANCISCO PICOTE' DE BELESTRE, Doctore Medico, Præside.

An amor ingenium mutat?

AMORIS & mundi idem esse initium sacri narrant Historici, prisci canunt Poetæ, asserunt Philosophi, annuunt Grammatici, humana probat ratio: utriusque non finis, non sors eadem. In dies juvenescit amor, senescit deficitque mundus; hoc senescente, fugit mortalibus optima quæque dies, tristior subit rerum facies, ruunt in pejus omnia: illo semperjuvene ver floret æternum amantibus, quo nihil fit nisi lætum & amabile quidquam: hæc inter, quis nescit nec sentit quid sit amor, ἐν φιλότητι μιχθείς? Quem non trahit vel invitum vis illa blandior, tam altè omni animantium generi insita? Quem non urit mollis hæc flamma, imis incensa visceribus? Ut ut sit, amor aptè definiri potest animæ commotio, orta à sanguinis spirituumque motibus, quibus adeò illa concitatur, ut vehementer velit conjungi quibuslibet objectis quæ sibi grata & convenientia percipit ac intelligit.

ANIMÆ perceptiones cum sanguinis & spirituum agitatione conjunctæ, passiones vulgò dicuntur. Perceptiones non à corpore, non in corpore, sed in anima, cujus totidem commotiones dici possunt, imò & cogitationis species, ideòque spiritalis animæ actiones seu functiones, non tamen sine corporis commotione suscitatæ, quandiù illa, hoc includitur. Commotio, perceptionis occasio, non causa. Qualiscumque fuerit sanguis, spirituumque motus qui mentis cogitationes sequitur, totus est in corpore; totus fit per corpus, non tamen sine mentis imperio; quod quale quale sit, habebiturus motûs occasio non causa. Perceptionis animæ, motûsque corporis, vera solaque causa reputetur. Lex illa ab omnipotente rerum Opifice tùm posita, cùm animam unà cum corpore conjunxit, ut videlicet quasdam animi cogitationes certi corporis motus, & vice versâ, quosdam corporis motus certæ mentis perceptiones excipiant.

CONSOCIATA corpori anima sic ab ejus pendet organis, ut his benè aut malè dispositis, benè aut malè operetur: Istud equidem æterno & immutabili fœdere sancivit qui, animam corpori miscendo, discrepantes dissociabilesque adeò naturâ substantias concordi pace ligavit. Quo sanioribus, validioribusque corporis partibus, mobiliores, puriores, uberioresque spiritus accesserint; eò vividiores vegetioresque futuræ sunt mentis perceptiones. Ista secundæ valetudinis bona ac præmia quis largietur meliùs quàm amor, sine quo mortalium vita vitalis non videtur? hujus quippè præsentiâ ac nutu, spiritibus in nervorum tubulos validiùs impulsis, simulque ad cor rapidiùs delatis, novum supervenit fluidis solidisque robur, venæ micant crebriùs, celeriùs fluit refluitque sanguis, undique & ubique conterendus: Quid multa? expansis ampliùs cerebri meatibus, distinctiùs dilucidiùsque menti occurrunt rerum species, rubet nitetque facies, ignescunt oculi, sic denique incalescunt omnia, ut crescat vigor in partibus illis quas pudor abscondit.

POST hæc dubitamus adhuc ex amore ingenium hominum immutarier? hìc amabo, quærant hebetes quod amare velint, reperire laborent quod ament stolidi; vel si pauco tempore duret amor, hi emendatis ingenii vitiis sentient solertes sagacesque facti, quanta potentia nati est, Venus alma, tui? Amet truculentus homo, brevi hunc mollem & mansuetum dabit amor, non enim est ἄλλος Θεὸς εὐχαῖς οὗτος; ament feroces, illicò ferocia ponent corda, volente Deo. Cautus timidusque amore abundet Antipho, audacior fiet potiturus; Omphale tristis servierit Hercules; lætus Dejanires amoribus, cœlum meruit radiantibus illatus astris. Quid verbis & exemplis opus est? si quidem, ut ait Comicus, amanti omnia ingenia sunt. Amorem tollant μισάνθρωποι? continuò concidit suavissimum virtutis & gloriæ incitamentum: pereunt vitæ illecebræ, perit dulcissima corporis mentisque voluptas. Nunquid homini malorum plurium autor est amor? ita sanè, sed si quem fortè læsit amor, profectò non amoris est culpa, sed amantis, qui amare nescivit; arte leves currus, arte regendus amor.

COMITEM corporis animam, ipsius bonorum, malorumve expertem importunè clamant οἱ ἐκ τῆς στοᾶς Βάτραχοι: animi motiones ex se nec bonæ nec malæ, si recta reguntur ratione, laudem merentur; si impotenti libidine, vituperium. Eas omninò amovere & rejicere, prorsùs ignorare est earum usum & finem: illas ne dixeris perturbationes animorum, sed exercitationes, sine quibus animi miserè torpescerent & hebescerent. Ut labor corpus firmat, ignavia hebetat & frangit, sic passiones firmant animos, ἀπάθεια minuit & debilitat. Inter primitivos animi affectus recensitus amor, veluti singulorum radix, omnes producere, fovere & nutrire videtur. Quis, sodes, animi affectus, qualiscumque ille sit, non mutet facilè varium semper & mutabile hominum ingenium? Quæ invidia est, id tibi nunc denegare potentissime amor? qui nihil non mortalia pectora cogis, qui Deorum & hominum domas, pectora & regis consilia. His atque aliis argumentis fit, ut Apollinis responsum non magis sit verum quàm hæc conclusio.

Ergo amor ingenium mutat.

Domini Doctores disputaturi.

M. Andreas de Lalett.
M. Joannes-Franciscus Giot.
M. Franciscus-Antonius le Dran.
M. Antonius le Moine.
M. Petrus-Antonius Lepy.
M. Elias Col de Vilars.
M. Joannes-Baptista Chomel, Medicus Regis ordinarius, & Regiæ scientiarum Academiæ Socius.
M. Andreas Cresté.
M. Armandus-Josephus Collot.

Proponebat Parisiis LUDOVICUS-CLAUDIUS BOURDELIN, Parisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1717. à sextâ ad meridiem.

Typis JACOBI QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.